DE PRAEPROPERARUM INHUMATIONUM PERICULIS...

Antonio Navarra

15

DE

PRÆPROPERARUM INHUMATIONUM PERICULIS

Inauguralis Disquisitio

ANTONII NAVARRA

MEDICINÆ LAUREAM ASSEQUENTIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLII.

VIRIS DE SE BENE MERITIS AMICISQUE SUIS

AUCTOR

Tametsi non desint qui oculo irretorto mortem tueantur ipsamque lacessere valeant, verumtamen quemlibet arbitror, fortissimo licet pectore, animis defecturum quum secum anxietatem poenasque reputet interitum affligentes illius, qui vivus adhuc in sepulcrum conjicitur. Mens siquidem victa ex teterrima scena refugit; quid enim crudelius concipi potest, quum civis qui mortuus ducitur ex somno (heu cito nimis mortis somno dijudicato) excitatur, simulque omni ex parte suae conditionis horrorem persentit, integraque propriae vitae conscientia, sibimet vitam perpetuo negatam cognoscit, seque immutabili prorsus fato ad mortis regnum propulsum? — Neque profecto saevities magis dirum unquam obtulit tormentum, quam quo Romae olim Vestae sacerdos, simul ac culpae proxima innotuerat, multabatur. Illud tamen poenae cedere existimo, qua ignavia vel et improbitas cives aliquando damnavit fallaces mortis characteres prae se ferentes; quippe quum, animo

talem ad necem antea disposito, hujus acerbitas quidquam leniri potuerit, spesque fortasse accesserit non nimis serae judicum misericordiae.

Quonam itaque terroris sensu majores nostri percelli debuerunt ad praesentis usque saeculi initium, dummodo ad id animum verterent, metuique tot exemplorum civium vita adhuc gaudentium conditorum aliam quoque adderent doloris causam, quod vel leges silerent vel frustra imperarent! Nec absque horrore sententiam Unzer referimus majorem fuisse illorum numerum qui viventes sunt humo mandati, quam qui consulto necem sibi consciscerent. Post ea haudquaquam mirabimus si Lutetiae Parisiorum Professor Thouret, si illustris Winslow aliique supremis in tabulis caverent ne quid periculi in sui inhumationibus subesse posset.

Nostris sane temporibus leges providae nobis poenarum crudelissimam dirumunt; sed quem non latuit per nonnullorum voluntatem et nefas irritas interdum evadere posse, non ille stupescet, si contra quorundam timorem, rationis argumenta careant effectu, iidemque, ne deinceps in adeo terrificum discrimen versentur, suprema die, post etiam incassum auxilii modos tentatos, praecipiant ut anatomicum cul-

trum suae vitae restitutionem impediat nimis tardam et miseram, uti praeclaro contigit Major. — Fors nostris etiam diebus si tumulorum silentium adire liberet, cadaverum mutatae cubitus rationes, digiti et membra conaminibus erosa in fuga capessenda, modique desperationis civium metum probarent. Nec temere id loquutum credatur: Gallia enim, dum recens regiones late cholera vastaret, exemplum protulit cujusdam e saevissimo hoc supplicio servati per gemitus dum in sepulcrum descenderet editos: atque etiam apud nos eventus novissimi docuerunt nunquam medicorum satis esse diligentiam in judicio de morte inferendo, si quid dubii solum supersit.

Causas perpendentibus per quas tum antiquitus tum recenter viventium inhumationes evenisse accipimus, quidque in ipsarum acceleratione periculi inesse possit dignoscere datur, variae nobis recensendae veniunt: arduum siquidem est quandoque a priori sive a quibusdam indiciis verae mortis praesentiam statuere; judicii errores interdum ex ipso medico singulo in casu non ab artis defectu proficiscuntur; accedit inscitia, malignitas familiae, affinium etc.; huc quoque refertur timor detrimenti, quod ex cadaveris conservatione superstitibus imminere potest; denique superiore aevo, hodieque cer-

tis saltem regionibus, legum de re deficientia. — De harum singula disquirendum suscipimus.

Si putredo excipiatur, quae judicium de mortis praesentia certum a posteriori proferre concedit, cetera, ex quibus hoc ipsum infertur, indicia ambiguitatem dumtaxat pariunt, quorum complexui fides innititur ad veritatem magis accedens. Dubium illud vero majus adhuc esse contendimus si de statu morti prorsus simili agatur plerumque quosdam morbos sequente.

Hic autem non erit qui cum Louis opprobriosum ducat arti medicae dubitationem tantum ex obitus characteribus obtineri; nec curnam medicum pudeat video si dum ex ceteris signis veritatem trahere nequit, putredo utpote certissimum indicium ipsi relinquitur: quid inde inferetur, si veram adepturi cognitionem, ad ipsam attendendum censemus? Utcunque denique sit, dubium ex reliquis phaenomenis inductum periculum arcet ipsis adhibendae fidei. — Quod si medici et philosophi admodum laborant quum vitae naturam definire enituntur, quare mirum habebitur, si quo pacto vitae essentia velatur, ita etiam difficile sit statuere an eadem desiverit in organismo, judicantibus ex phaenomenis, quae opponuntur quidem his quibus ipsa manifestatur, haudquaquam vero his quae ejusdem sistunt naturam?

Illa autem indicia ex quibus de mortis existentia plerumque conjicitur ad vitam animalem potisssimum referuntur quam ad organico-vegetalem, et ad motum externum spectant (late sumptum), sensum, temperiem et vitalem turgorem; conscientiam ceterasque animi facultates omittendas censeo, quae nempe deesse et adesse possunt quin sese quocunque modo enuncient, specimenque praeclarum exhibent catalepsia praecipue laborantes quidam, qui, testantibus Pougens, Van-Helmont aliisque, intellectus retinent dotes (interdum etiam alacriores factas) sensuumque externorum vicem gerit organon peculiare minime huic facultati dicatum. Mulieris cujusdam stomachi orificium impressiones singuli sensus proprias excipiebat. Fuerunt ex his, qui, animo recepto, suae sortis horrorem descripserunt, quam passi sunt dum sibi justa agebantur, de his jam conscii simulque suam poenam quapiam ratione patefacere prorsus impotes, nisi terrorem quidam naturali indicio, exempli causa sudore ad faciem expresso, uti quandoque evenit, ostenderent, incolumesque per ipsum praesentibus cognitum evaderent.

Signa autem specialia de morte probabilitatem tantum inducentia haec sunt: respirationis, circulationis, caloris defectus; maculae, striae etc.

*

ob humores in variis partibus resides; corneae opacitas; oculorum universaeque cutis flacciditas; manuum transparentiae absentia ut et contractilis vis musculorum; rigiditas artuum. Talibus indiciis licet praesentibus vita intima quamvis vel maxime infirma adesse potest, sponte dein vel per auxilia ad integram suam vim revocanda. Sic non adeo hic status ex hiemali differt lethargo animalium quorundam et somno quasi ad vitam animalem spectanti aequiparari posset. — Putredo vero indicium certum addendum: vix fere memorandus erit totius corporis frigidus sudor utpote character incertissimus.

Vita licet vigente respirationem intercipi, hancque adesse posse dum illa extincta videtur innumera facta testantur. Tum etiam respiratio vere peragitur, licet sensibus nullo modo percipienda: neque enim satis habemus, ut ejus defectum statuere velimus, probationes afferre vel facis accensae vel plumae pro ore dispositae illius, qui mortuus putatur. Eam quidem abesse existimare conceditur in submersis et strangulis, quamvis quisnam contendere posset illos materiem licet tenuem ex aëre aqua incluso haurire non posse, in his autem vias respiratorias omnino claudi et qualicunque denique asphyxiae casu sanguinis me-

tamorphoses per respirationem inductas perfici quoque nequire ab aëre poros cutis ingrediente?

Eadem argumenta quoad circulationem referri possent: scimus enim voluntatis imperio quosdam ipsam cohibere, alios vero nullam, secunda quamvis valetudine, praebere pulsationem (ut Berryat de muliere perhibet) arteriarum tenuitatis causa, earum situs profundi, vel vis imminutae et debilis sanguinis circuitus. Illustris Haller indicium certae mortis assumit ex cordis irritabilitate perfecte cessante, sed qui id eruere poteris nisi ex circulationis symptomatibus? haec vero an semper sensibus patent licet circuitus aduc adimpleatur? Exinde ergo apparet sententiam Haller idem prorsus valere ac si quis assereret: vitae defectus est signum mortis compertum.

Maculas lividas, corneae opacitatem, oculi delapsum et flacciditatem sicuti phaenomena ex circulatione pendentia omittimus. Duo extrema certa indicia a Louis et Winslow censentur; sed relata argumenta ipsis opponuntur. Portal corneae transparentiam in quibusdam subita nece peremptis triduum post mortem duravisse observavit: ea facta, juxta Frank sententiam, praedictorum opinioni objici possent: hic tamen dubitare conceditur eo temporis intervallo vitam omnino abfuisse.

Corporis imminutus calor ex circulationis et respirationis conditione provenit, idem itaque ac antea loquuti sumus repetendum. Notandum vero juxta Bichat, in subita potissimum morte, praecipue autem in asphyxiis, calorem diutius ac in cadaveribus reapse talibus perseverare; vita nempe organica hucdum vigens tali nota prodit, tametsi circuitus humorum, qui quidem pro parte temperiem sustinet, corporis sensibus absolute lateat. Frank facta hominis fulmine perculsi profert et aliorum apoplexia correptorum, qui revera extincti diu calorem servarunt; quispiam fortasse talia excipiet exempla; sed potest ne asseri hisce in casibus de vera morte actum fuisse?

Quoad contractilem vim attinet sensu latiori sumptam memorare sufficiat ipsam quoque post interitum adesse, ut electrici fluidi aliorumque stimulorum in capite truncatos experientiae testantur. Sphincterum relaxationis et generatim musculorum vis cessationis argumenta quivis infirmare potis erit. Hic vero secus ac Legallois sentiendum esse censeo, qui ex carotidum vacuitate signum haud dubium mortis trahit tum quoque cum cor distincte pulsus edere pergit; enim vero quum phaenomenon ex ablata circulatione produci nequeat,

tantummodo vis contractilis defectui tribuendum putamus, quod quoque evenit vita licet quispiam fruatur.

Nec sensus abolitio magis ponderis adipiscitur: quot enim, ut cetera praetereamus, sub mortis specie cruciatus saevissimos non sunt perpessi quin vel minimum conquererentur, aut dolorem quoquo pacto manifestarent?

Oppugnatum admodum argumentum illud cadavericae rigiditatis fuit. Orfila enim post ipsam vanum recenset ad putredinis evolutionem attendere, quam semper haud dubie antecedere contendit. Etiamsi autem ille vir veram cadaveris rigidatem ex aliis ejusdem speciebus sejungere conetur (submersorum videlicet, morborum nervos afficientium, syncope perculsorum etc.) nihilominus evictum est ipsam non semper adesse, ideoque tum certiora signa expectanda. Frank nobis specimen exhibuit phthisici cujusdam, in quo, putredine evoluta, membra flexilia perstiterant; id quoque observavit De-Haen idemque homines docuerunt in asphyxiam prolapsi ex vaporum carbonis aut acidi carbonici inspiratione et deinceps interempti. Haec itaque argumenta Louis sententiae opponuntur, qui nullum defunctum declarabat dummodo flexibilia membra reperiret. Adjiciendum insuper rigiditatem ipsam aut sero nimis com-

parere posse aut cito post mortem et jam deficere priusquam medicus aegrum visurus eam dignoscere valeat. Quod si verus cadavericus rigor ex spuriis rite secernatur summae quidem signum erit probabilitatis, ut caloris animalis absentiae effectus, sed nunquam dubia absolute tollit. Immo mortis probabilitatem tum solum eruendam posse duco, quum rigorem corporis non ex forti musculorum contractione pendere compertum fuerit; tunc enim iis in organis actionem, ideoque vitam concipere nequimus.

Quoad putredinem spectat, facta, ratio ipsa, auctoritates denique in id unum conveniunt ut mortis praesentis certissimum probent signum: ea est nempe destructionis indicium, status scilicet vitae oppositi, neque hujus sub influxu perfici posset, quae legibus externae naturae sese vindicat, quarum imperio jam paret cadaver. Hic tamen quoque Haller summa nos docuit diligentia uti; nam si corruptione plane evoluta ancipites esse omnino non datur, cadaveris odor, exhalationes, quae propriae quoque sunt organis sphacelo deprehensis vitae tempore, et quaedam putredinis in superficie corporis species deceptionis quandoque causae esse consueverunt. Thiéry quoque opinio est putrefactionem tum solum certitudinem de mor-

te inducere posse quum alia sequitur phaenomena ejusque signa ad partem non circumscribuntur, verum ad totum extenduntur corpus. — Neque hic praetereundum nos magnam acquirere probabilitatem, et ferme contenderem certitudinem, de morte si ad effectus ustionum in organismo attendemus: siquidem compertum habemus si illae in viventi peraguntur maculas rubras punctum ustum circumdantes prodi nec non phlyctenas seroso humore refertas; verum nil prorsus contingere si in organismo vita orbato.

Quid si praeter putrefactionem ceteri characteres ancipites sunt etiam solitis interitus casibus, quem scilicet antecesserant morbi chronici vel acuti in quibus, vel maximum probabilitatis fundamentum de morte judicanda adipiscamur; eo magis dubia fiunt quum mortis speciem comitantur morbos quosdam secutae. De his quin characteres singillatim exponamus, tantum monere sat erit ad ipsos referri, praeter asphyxiae varias species, systematis nervosi affectiones, systematis insuper sanguinei (uti apoplexias, syncopen, sanguinis copiosas amissiones) denique qui peculiaribus veneficiis tribuuntur. Addemus solummodo inter fallaces interitus casus frequentius illos occurrere asphyxiae, ob varias, quas complectitur species,

hysteriae, lethargi et syncopes; minus vero periculi afferentes (quoad facilitatem attinet signa ad vitam revocationis probabilia reperiendi) illos exhiberi asphyxiae per aëres mephiticos, in quibus nempe diu calor servatur, membraque suam retinent flexibilitatem.

Tum apud veteres, tum apud recentiores exempla frequentia infausta admonent medicos etsi sagacissimos signa mortis fallacia decepisse. Horroris profecto sensu a Valerio Maximo aliisque Romanis scriptoribus accipimus aliquando, nil legibus proficientibus, miseros quosdam nondum peremptos ad rogum raptos revixisse ignis ardore excitatos, cujus tandem vi subjecti, certa nece mortis imagine succedente poenas subiverunt ad quas ignavia damnabat; imperator Zeno vivens adhuc sepulcro mandatus heu seros nimis gemitus inde mittebat non unquam ad aures substituti tyranni perventuras. Nec minus animo movemur quum propioribus aetatibus intelligimus ex anatomico cultro vitae quandoque restitutum quemdam ex opinione defunctum, sed tantum donec sui percussorem cognosceret, ipsumque desperationis ululatu argueret quod se gravi eripiens somno crudeliter traderet neci; atque simili de causa Vesalii nomen suopte aevo execratum nec absque labe ad nepotes transgressum, ejus-

que sors dolore deperditi salutares monitus medicis suppeditabunt; neque satis sedulos esse ediscent, postquam ipsis eventus innotescat illius Anglicae nobilis mulieris, quae ex hysterico accessu correpta et demortua jam habita per animum viri vitae ejusque affectui est restituta solum post diem nonam asphyxiae; sic etiam illius phthisici hospitii Paderbonae, qui post supremum anhelitum custodiae traditus est usque ad diem decimam nonam quod tantum signa putredinis vigesima obtulit; illius lethargo (vix credibile) deprehensi, qui inter vitam mortemque ad quatuor usque menses nutavit. Sed tot exempla referre frustra laboro, quum cognomina per gentes immortalitati mandata quaeque viventium inhumationes designant perpetuo hortentur ad humanitatis officia in cives praestanda et ad mores vitandos qui inter nonnullos medicos vigent. Neque enim parcendum ullo pacto videtur iis, qui ubi opus sit certitudinem de morte sibi parare renuunt, aut ad eandem acquirendam minime dant operam omni ex parte, aut dubia cognita morte vel absolute opem ferre negligunt aut leviter munus adimplent; animo praeterea aliquando evicti irritos fore conatus simul ac eos inceperint relinquunt, quin intelligant si quid spei subesse possit sedula hoc assequi auxiliorum administra-

tione: obliviscuntur iidem quantum doloris medicis fuerit, quibus talem socordiam conscientia, et lugubres inde productos effectus exprobraret. Neque sane ad id unquam animum verterunt nullum mortis genus esse, in quo contra medicorum maxime expertorum absolutam sententiam miseri non revixerint, quod etiam quandoque accidit quum ridendum videbatur auxilia afferre; arcanae adeo sunt leges naturae, totque viae praesto sunt ut vitae lumen ferme extinctum novitus accendatur.

Silendum non est de pravis apud aliquos moribus, quos vel sola improbitas suggerit, vel timor ex putredine detrimenti temporibus potissimum contagiorum et epidemiarum, vel quum de morbis agatur praeproperae corruptionis. Longe quidem absum quod inficiar effectus putredinis in superstites nocuos esse, facile contagia, miasmata etc. diffundi, nec horrorem doloremque etiam praeteribo eorum, apud quos unicum cubiculum, fors etiam unicus grabatus cadaver una cum ipsis excipiunt; nihilominus an illis ignoscendum, qui timore contempto mortem suis crudelissimam patrandi, falso in antecessum horam indicant interitus auctoritati, et multimodis inefficaciam promovent pro parte auxiliorum in ancipiti morte, quum eam nempe serius medico enuncient,

quandoque pulvinar morientibus capiti suppositum eripiant (tali pacto aliquibus in casibus apoplexiam cerebralem ubi adsit augentes), quum naturales meatus ne lintea foedentur praecludant, vias aëri ideo intercipientes, indeque respirationis functionem, quae etsi sensibus inconspicua perfici posset, quum frigori, aëris vicissitudinibus corpus inconsulto exponant, quum omnia pro justis faciendis parent, et si infelix revixerit adeo commoveatur ut dubius obitus in verum convertatur; denique quum propter vilem avaritiam ab aegro visendo medicum prohibeant, qui fortasse illum servasset?

Antiquitus naturae leges mortales sequentes credere possumus in discrimine versatos minime fuisse suos viventes adhuc sepeliendi; verum corpora, quae iis nullum injicerent horrorem sepulcro condenda curassent, quum primum corruptionis signa ostendissent, tali ratione ea ex suis sensibus nausea affectis arcentes. Inhumationum inde origo quae combustionem praecedere debuit, namque haec majorem quemdam cultum populorum supponit. Veteres gentes hoc naturae systema prosequentes audimus: Persis non nisi post putrefactionem sepeliendi mos erat: Graecis tertiam post diem ab interitu, Lacedaemoniis serius adhuc; apud Romanos septem usque dies decurrebant: in-

terim cadaveri suppetiae praesto erant ad facem, si fors tulisset, vitae novitus accendendam, ad quae referuntur lotiones, unctiones, praeficarum conclamationes, aëri corporis apta expositio etc.; nos tamen tristia inter eos exempla retulimus.

Post ea piguit forsitan nepotes cultioris aevi et ditionum maxime totius Europae florentium, apud quos leges tristissimis eventibus faverent eosque imo decernerent. Saltem hoc adjiciam: in Gallia post annum 1730 cadavera secanda concedebantur duodecim horis ab interitu elapsis; si hic anceps fuisset post viginti quatuor. Extremum hoc spatium pro humatione anno 1805 statutum fuit. Qui reipublicae muneribus peculiaribus fungebatur (prorsus medicinae alienus) jubebatur judicium de morte enunciare; ad quem si de neonatis defunctis agebatur (vel talibus melius habitis) iidem ferebantur; ipse in tabulis eorum nomina referebat nil satagens an reapse vita carerent, an per scelus periissent.

Hodie ea omnia praecavent leges sapientes: quae hic locorum pervulgata est vigesima octobris 1838 de inhumationibus patefacit quam opus foret ut illis efficaciter consuleretur. Medicis in ipsa vel maxime diligentia in sententia de interitu exhibenda, sedulitas in auxiliis

dubiae morti ferendis, fides in tabulis mortuariis conscribendis, severitas in tempore ad inhumationem decernendo praecipitur, quod tamen jure meritoque, prouti necesse sit, iisdem medicis augere interdum vel breviare conceditur praeter horarum quadraginta octo normale spatium: quod tantum juxta tempestatem, putredinis evolutionis ratione habita moderari potest.

Generose et humanissime sensit qui primus mortuaria instituit cubilia; ipse miseris, quibus secus sub oculis assidue dulcis propinqui sisteret cadaver, dolorem imminuit; quibus inopia vel et segnities dubiae morti officia praestanda moratur opem eam ferendi rationem suppeditavit; metum abstulit ob putredinis, contagiorum etc. effectus, quodque denique vel maximi censeo terrorem delevit, quem discrimen hominibus injecerat viventium adhuc humationum. Sic cunctae gentes illustri Hufeland grates persolvent, qui primo exemplo sub fine praeteriti saeculi Vimariae prodito harum institutionum studium per provincias diffudit Europae.

THESES DEFENDENDAE

I.

In quibus respiratio vel arbitrio vel vi coactis intercipitur Botal foramen non perfecte clausum admittere necesse non est.

II.

In capite truncatos cito institutae experientiae crudeles ducendae.

III.

Rejicienda sententia: Quibusdam mortis apparentis casibus, si putredo evoluta non fuit, id conservationi motuum tonicorum tribuendum etsi vel maxime debilium in organismo.

IV.

Quo major vita vigente organicarum partium irritabilitas eo citior cum morte ejusdem abolitio.

V.

Quae vim vitalem adaugent eam quandoque infringere valent; nullatenus quae deprimunt contrarium pariunt effectum.

VI.

Vita semper ex vita.

374